

siaē sui, quem expectarent Salomonis instar cum splendore et pompa ad se venturum. Interim tamen hanc pompam ita humilitate miscuit, ut ostenderet eis regnum suum non temporale sed æternum, non terrenum sed cœleste, non corporeum sed spirituale esse, juxta prædicationem Zachariæ, cap. IX. ex qua discere possent, venturum Messiam pauperem super asinam et pullum: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi*, q. d. Diu desiderastis regem vestrum Messiam regio apparatu: ecce vobis regem vestrum. Verumtamen mansuetum et sedentem super asinam, quia non armis, sed mansuetudine orbem superabit.

VII. Ut hinc augetur ejus abjectio et ignominia in passione juxta Bern. in serm. II. dom. hodiern. Quanto enim quis gloriosior aliquando fuit, tanto major est ejus ignominia, cum deprimatur. Quoniam igitur Dominus extrema queque pati voluit, adeoque excessum passionis facere: ideo hanc sibi prius gloriam exhiberi passus est ut in altum evehctus profundius ad tempus caderet. Quam dissimilis mundo Dominus! Mundi et honorum sectatores prius se humiliant, ut per fictam demissionem ad honorum culmina ascendant. Christus se exaltari patitur, ut turpius deiciatur; quia ad cœlestem gloriam per humilitatem ascendendum noverat; et quo major est justus depressio, eo fore majorem ejus exaltationem.

VIII. Ut mundi pompam turgidam hæc sua humili dampnaret. Terreni imperatores, cum fastu et arrogantia instituebant suos triumphos, splendidissimo vehebantur curru, cui alii junxerunt leones, ut Marcus Antonius, teste Plinio, l. VIII. c. XIX. alii elephantas, ut Pompeius, ibidem lib. VIII. capite II. et Caius Julius Cæsar Gallico in triumpho, cujus currum quadraginta elephantas traxerunt, apud Sueton. cap. XXXVII. alii cervos, ut Aurelianus imp. ap. Fl. Vopiscum, in Aurelianos; alii tigrides, ut Antonius Heliogabalus, teste Æl. Lampridio in Heliog. alii equas hermaproditas, ut Nero, auctore Plin. l. XI. c. XLIX. alii reges a se devictos, ut Susacus Ægypti princeps, apud Joseph. lib. VIII. antiq. cap. X. nec tamen his tam operosis conatibus eam sibi pararunt gloriam, quam hodie obtinuit Christus; nemo eis substravit vestes, nemo acclamavit *Hosanna*: sed convicia potius in eos jactata sunt: Julium Cæsarem mœchum calvum, Ventidium Bassum mulionem clamabant. Hunc in modum et ipsi Christi servi suo mundi contemptu plus gloriæ consecuti sunt (uti humilis Antonius, Bernardus, Franciscus, etc.) quam omnes mundi imperatores suis exercitibus et pompis.

IX. Ut qualis et quam fallax esset mundi gloria, ostenderet. Hodie obedierunt ei discipuli et imposuerunt eum jumento, post quadrimum eum deseruerunt, unus negavit, alius etiam tradidit. Hodie obviam ei processit e civitate turba, post ejecit eum de urbe velut malefactorem. Hodie substraverunt ei vestes suas, postea spoliaverunt eum propriis: hodie ramos ei prætulērunt, postea spinis eum coronarunt: hodie ramos substraverunt, postea virgis et arundine percusserunt: hodie ejus laudes cecinerunt, post eum illuserunt et blasphemarunt: hodie regem suum vocarunt, postea abjecerunt, clamantes: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Itaque id quod dicitur, I. Machab. I. *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus*, poterat etiam hic de Christo dici. Hoc igitur exemplo edocti, auditores, ne fidamus mundo cum blanditur nobis et offert gaudia sua. Si enim Domino et factori suo stropham istam texere ausus est, ut subito demergeret, quem paulo ante evehctus, quanto magis faciet hoc servis et mancipiis suis?

Quando igitur vidimus jure meritissimo instituisse Christum triumphalem pompam, superest ut nos eundem excipiamus debito cum honore, junctique discipulorum turbæ, clamemus: *Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini*.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA EVANGELICA.

I. A Christo discimus: 1. Divinitatis ejus attributa, sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam. 2. Regnorum mundi miserias. Boni regis et dominorum conditiones. — II. A discipulis servorum et subditorum dotes. — III. A turbis Christiani omnes: 1. Deponere vitia. 2. Facere bona. 3. Deo omnia accepta ferre. — IV. Ab asina peccatorum conversionem.

## THEMA.

*Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Matth. XXI.*

Divus Bernardus, serm. I. in hanc dominicam prælatos et pastores esse ait, qui de arboribus ramos cædunt et pedibus Christi substernunt: dum videlicet e sanctorum gestis præclara virtutum exempla decerpunt, uti obedientiam Abrahamæ, castitatem Josephi, mansuetudinem Moysis, etc. et Christi pedibus ac jumento, hoc est pauperibus et humilibus proponunt, quomodo scimus Jacob patriarcham objecisse ovibus hibentibus virgas decorticatas varii coloris, ut earum conspectu et imagine sibi impressa

varias oves gignerent, non irrita effectu, Genesis, cap. XXX. Sanctus Gregorius in Ezechielem, concionatores esse asserit, qui de arboribus ramos cædunt, cum ex libris patrum decerpunt sententias. Ergo, auditores, quando pastorum et concionatorum functio est cædere ramos de arboribus, aggrediar et ego hodiernum evangelium, indeque velut e silvula decerpam aliquot sententias. Et quia in eo plures reperio insignes arbores, decerpam ab iis quoque virtutum aliquot ramos. Vos estote velut oviculæ, et contemplantini eos, quia vobis cæduntur, vobis proponuntur.

I. Arbor prima et primaria Christus est, de quo insignes aliquot ramos possumus decerpere. Primo enim monstrat nobis divinitatis suæ attributa, sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam. Sapientiam, dum vidit, absens licet, in castello asinam et pullum alligatos, monstravitque discipulis: *Statim invenietis*, inquit. Vidit asinam, vidit pullum, vidit alligatos, vidit dominos primo obstituros, postea cessuros. Quis hominum tales oculos habuit? Deum ergo se ostendit, de quo apostolus ad Heb. IV. scribit: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*: (Græce fissa, dissecta vel exenterata, q. d. Etiam intestina hominis ipsi aperta sunt) vidit ergo Dominus asinam, et non videbit peccatorem? Vidit asinæ pullum, et non videbit opera peccatoris mala? Vidit asinæ vinculum, et non videbit laqueos, quibus alligatus est peccator? Potentiam, dum inflexit corda dominorum, ut mox dimitterent asinos, ad unicum illud verbum: *Quia Dominus his opus habet*. Quemadmodum enim, Exod. XII. posuit Deus virtutem in verbis Hebræorum, ut vasa aurea et argentea, quæ peterent mutua ab Ægyptiis, statim obtinerent, sicque Ægyptum spoliarent: ita dedit etiam virtutem verbis, illi ut facile obtinerent, quod petebant. Bonitatem, dum ad urbem passioni suæ decretam ultro et cum festiva sollemnitate velut agnus ad victimam accessit. Justitiam, dum ingressus in templum vendentes et ementes ejecit, quod subjicit huic evangelio Matth.

Secundo, monstrat regnorum mundi miserias et splendidam servitutem. Nam primo, Dominum se appellat quidem Christus, interim tamen indigum ostendit operæ alienæ: *Dominus his opus habet*, inquit. Ita reges domini quidem sunt, sed indigent tamen longe magis quam ulli mortales opera aliorum. Indigent satellitio, alioquin tuti non sunt; indigent censu et vectigalibus subditorum: indigent officialium plurimorum necnon consiliorum opera, ita ut sine

ipsis nihil quidquam possint: indigent exercitibus ad tutandum regnum, etc. Deinde in sublimi quidem vehuntur, aliis in humili constitutis, verum interim omnium oculis patent, ita ut omnes etiam minimi eorum defectus observentur et vulgi fabula fiant.

Tertio, sedent in throno vel equitant, aliis stantibus vel incedentibus; sed interim parum quiete degunt. Ut enim Christus Dominus nequaquam commode vectus est in asino: (sella enim caruit, vestes parum adjumenti dederunt; ad hæc in descensu montis, quo alii solent ab equis descendere, asinum ascendit) ita reges quoque parum quietis, plurimum vero curarum et molestiarum habent. Triumphalis Christi gloria brevis fuit, quemadmodum et illorum, qui Romæ olim triumphabant (unico enim triumpho die imperium penes ipsos erat) ita etiam *omnis potentatus brevis vita*, Eccl. X. Unde cum ramis et frondibus Christo obviarunt, frondes enim quia radicibus carent, ideoque brevi exarescunt, typus sunt mundanæ felicitatis et gloriæ. Denique honor ille, quem hodie Christo exhibuerunt Judæi, brevi mutatus est in summam crucis ignominiam: ita gloria mundi desinit sæpe in stercus et lutum. Vere ergo dixit Antigonus rex regnum esse *splendidam servitutem*. Sensit et Hadrianus VI. pontifex Caroli V. præceptor, cujus sepulcro incisum fuit hoc elogium: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi in vita infelicis duxit, quam imperare*, Paulus Jovius in ejus vita.

Tertio, monstrat boni regis et suo modo etiam aliorum dominorum dotes et conditiones. Nam imprimis Christus, Domini appellationem tribui sibi voluit; *Dicite quia Dominus his opus habet*, unde et asino vectus incessit, dum alii pedibus. Ita ergo rex tueri auctoritatem suam debet; siquidem per eam continentur in officio subditi; vicissim *dum nimia servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas*, inquit S. August. c. Quando, dist. LXXXVI. Secundo, miti in jumento sedit; unde vocatur rex mansuetus. Ita decet reges clementia et mansuetudo. Ad horum instructionem regi apum natura negavit aculeum, vel saltem non concessit eas usum, ut scribit Plinius, lib. XI. cap. XVII. Saul ex mansuetudine Davidis collegit eum fore regem sibi successurum, I. Reg. XXIV. *Nunc scio quia certissime regnaturus sis*, q. d. Quia mihi vitam cum eripere posses conservasti et donasti. *Muliebri est furere: ira non decet regem*, inquit Seneca, libr. de clem. c. V. Tertio, in medio turbæ incessit; aliæ turbæ præcedebant, aliæ sequebantur. Sit igitur et princeps in medio populi sui, ita ut æqualiter omnibus jus dicat, attendat, provideat,



succurrat, ac si fieri queat in medio suorum habitet, quo facilius ab omnibus adiri et audiri possit. Hanc ob causam filii Israel dederunt Josue principi suo civitatem in medio sui, Jos. XIX. quo modo scilicet cor est in medio hominis. Regnum enim quo magis regi suo unitum est, eo firmius et validius est. Repræsentavit hoc Alexandro Magno Calanus philosophus in corio sicco, cui dum in limitibus insisteret, assiliebat: dum vero in medio stans id calcabat, quiescebat undique in Alexandro. Quarto, non ingressus est Jerosolymam sui causa, ut ibi rerum potiretur, dominaretur, aliorum opes ad se traheret, aut ad sui servitium subditos compelleret, cujusmodi jus regis describitur, I. Regum VIII. sed propter Jeresolymitas et mortales omnes, ut eos redimeret et ditaret meritis suis: unde dicitur in evangelio ex prophetia Zachariæ: *Ecce rex tuus venit tibi*. Debet enim rex publicam imprimis utilitatem, non suam privatam quærere, hancque primam et antiquissimam curam habere, ut iis quibus præest, bene sit: suas vero commoditates, amœnitates et delicias in postremis habere; quomodo et Josue, cap. XII. tribubus commodissimas, sibi ipsi omnium vilissimam elegit sedem, Josue, capite XIX. Quinto, ingressum et pompam suam recta ad templum instituit: ita reges sæculi pietati addicti esse, omnemque suam gloriam Deo dicere deberent, quomodo Apocal. IV. procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et mittebant coronas suas ante thronum. Atque ex hoc fonte tanti ac tales evaserunt Constantinus Magnus et Carolus Magnus, (quorum uterque signum crucis in acie deferebat) Theodosius uterque, Rudolphus, Carolus aliique imperatores ac reges. Ut enim corpora sublunaria magna ex parte reguntur a cœli sideribus quæ a Deo gubernantur et angelis, ita subditi libenter parent principibus, Deo et divino cultui addictis, pietatisque radiis micantibus. Hanc Theodosius moriens nihil aliud filiis mandavit, quam ut veram pietatem colerent, per quam asseveravit eos pacem habituros, bella sopituros et victoriam consecuturos. Niceph. lib. XIII. c. I.

Sexto, in templo curavit Christus languidos: ita decet principes esse misericordes et liberales, juxta id Isa. XXXII. *Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit*: (hebr. *Liberalis liberalia consultet*, græce, sit *evergetis*, benefactor). Titus imperator reputabat diem sibi periisse, si quo beneficium alteri non contulisset. Severus imperator etiam ad immeritos dicebat: *Quid est, quod nihil a me petis? An tu me vis tibi fieri debitorem?*

Denique sicut Christus non ipse per se ascen-

dit asinam, sed a discipulis ei impositus est, ita reges et rectores non ipsi involare in dignitates, sed ab aliis evehi et quodammodo cogi deberent.

II. Arbores tales sunt discipuli Christi typus servorum et subditorum. Nam primo missi bini ad solvendam et adducendam asinam *euntes fecerunt sicut præcepit illis Jesus et adduxerunt asinam et pullum*. Itaque præceptum Domini exacte et ad nutum ejus executi sunt, nec erubuerunt tam vile munus obire, neque etiam mandati causam curiose perscrutati vel mirati sunt, cur nunc præter morem jumento vehi vellet; sed simpliciter obedierunt, quod item facere servi debent, dominorum inquam voluntatem pro regula habere eique se accommodare, non proprio sensui; deinde non detrectare vilia opera; quo enim viliora fuerint, eo plus mereantur. Certe Saul jam idoneus regno missus a Cis patre ad quærendas asinas, minime recusavit aut erubuit. Unde ibidem unctus est in regem, priusquam domum rediisset, I. Reg. IX. et X. Eadem dignitate postea per inobedientiam excidit. Denique non disquirere dominorum jussa, cur hoc vel illud præcipiant.

Secundo, imposuerunt super eos vestimenta sua, quo commodius sederet Dominus. Hunc in modum servi procurare dominorum suorum commoda debent et laborare ut ipsis bene sit, ipsorum quietem et prosperitatem quærere et promovere. Ita Jacob socero suo Laban serviit, si quid enim e grege captum a bestia foret non ostendit ille damnum hero, ne molestiam ei pareret, sed omne damnum de suo resarciebat; ad hæc diu noctuque æstu urebatur et gelu, fugiebatque somnus ab oculis ejus, quo dominus domi suæ sine cura suaviter dormire posset, Gen. XXXI.

Tertio, sustulerunt eum in jumentum. Ita par est servos et ancillas non detrahare heris, sed eos potius laudibus extollere, eorum famam intueri ac si possunt, celebres et magnos facere.

III. Arbores etiam commendandæ, turbæ sunt, quæ Christum exceperunt, docentque hominem christianum, quæ sint ejus partes, nimirum declinare a malo et facere bonum, Deumque in omnibus laudare; imprimis enim exuerunt vestimenta sua et straverunt in via. Vestes a Christiano exuendæ sunt, vitia et vitiosi habitus. Non licebat aulam regis Assueri sacco indutum intrare, Esth. IV. ita neque cœlum ingredi, neque ad sanctæ eucharistiæ cœnam accedere cuiquam licet sordida et polluta peccatis anima. Ergo quisquis talem habitum gerit, hoc saltem tempore exuat et Christi pedibus substernat, neque elapso paschate resumat; quod tamen fecisse

videntur Judæi illi, qui post quinque dies resorbuerunt vomitum suum, et quem hodie benedictum cecinerunt, postea velut maledictum pendentem in ligno blasphemarunt, recte a Joanne Baptista genimina viperarum appellati. Ut enim vipera murenæ marinæ se mixtura deponit venenum, sed postea resumit, ita fecerunt illi; atque utinam non aliqui eos imitentur, qui hoc tempore perrecturi ad communionem sacram nuntium aliquamdiu consuētis suis sceleribus mittunt, sed paulo post iisdem rursus se coinquinant. Non ita sponsa illa, quæ ait: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* Cant. V.

Secundo, ramos virides seu frondes partim prætulerunt ut indicat Joannes, partim substraverunt Christo, ramos inquam palmarum, ut habet idem Joannes et sine dubio, olivarum etiam, passim obviarum in monte Oliveti. Qui vero sunt hi rami, nisi opera bona gratiæ virore prædita? Palmarum rami opera sunt, quibus tentationes vincimus: olivarum rami misericordiæ opera sunt. Porro ea partim Christo præferre, partim substernere oportet. Præferenda et publice ad exemplum aliorum peragenda sunt communiter, quæ ex præcepto fiunt; sternenda vero et tegenda, quæ ex consilio, ne videamur inanem captare gloriam velle.

Tertio, *Clamabant dicentes: Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Pari ratione Christianus in suis operibus bonis Deum laudet, eaque non sibi, sed Deo accepta ferat, juxta id Isa. XXVI. *Omnia opera nostra operatus es nobis; scilicet velut causa primaria per gratiam prævenientem excitans nos ad operandum, et per comitantem adjuvans in operando*. Dicamus ergo *hosanna* non nobis: sed *Filio David* Christo. Laudemus Christum, qui per passionem suam acquisivit nobis merita operum bonorum, necnon sacramenta, quibus ablui a sceleribus, et gratia condecorari possumus. Accinamus illi cum hodierna turba carmen victoriale, quale præ templi foribus canit hodie Ecclesia: *Gloria laus et honor tibi sit rex Christe redemptor, cui puerile decus prompsit hosanna pium, etc.* Quem hymnum composuit in carcere ex falsa suspitione inclusus a Ludovico imp. Theodulphus abbas Floriacensis, anno Domini 835. eumque observato tempore, cum hodierna die Ludovicus inde transiret, e fenestra carceris cecinit. Qui cum eidem imperatori mirificè placuisset, e carcere tum educi jussit et post etiam Aurelianensium episcopum creandum curavit, Baro. anno 835. *Placebit etiam Christo Domino, si quam hodierno die laudem ei accinamus.*

II. PARS HIEMALIS.

IV. Arbor etiam suis ramis prædita dici potest asina; siquidem ea præclarum nobis typum convertendi peccatores exhibet. Quid enim peccator nisi asinus, stolidus et insipientis? Ita enim Psalm. LVIII. dicitur: *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Ligatus porro est, et *constringitur funibus peccatorum suorum*, Prov. V. ita ut seipsum solvere non possit, nisi Deus ipsum præveniat gratia sua. His vinculis irretitus non difficulter a dæmone abducitur in plura alia scelera, et demum in gehennam. Stabulatur autem in castello, *quod est contra vos*, hoc est, in mundo et mundi sordibus, fœtidisque voluptatibus juxta id Joelis I. *Computruerunt jumenta* (Hebr. *mulæ*) *in stercore suo*. Mundus porro castellum contra apostolos et sanctos est, quia odit et persequitur illos, qui ad solvenda jumenta hæc mittuntur. Ibi statim adsunt, qui reclamant; obsistunt improbi socii, domini, propinqui: remoras necit diabolus; caro remurmurat: *Dimittisne nos? etc.* Cæterum fortior est Dei gratia, si ejus ductum sequi velit peccator. Solvunt discipuli asinum, cum confessarii absolvunt a peccatis penitentem. Adducunt asinum ad Christum, cum disponunt penitentem ad s. communionem. Imponunt ei vestes suas, cum ei imponunt salutarem penitentiam et opera satisfactionis, cum præscribunt remedia ad vitanda peccata et emendandam vitam. Sedere in eodem Christum faciunt, cum sacram ei eucharistiam porrigunt. Desuper autem sedere faciunt, cum instruunt communicantem, ut digne et fructuose communicet, ita nimirum ut Christus in eorum corde superiorem non inferiorem locum teneat, ipse sit eques et director, homo sit jumentum ejus, suaveque ejus jugum patienter et cum gaudio ferat. Atque hi sunt rami, hæc frondes, auditores, quibus obviam ire Christo decet Christianos, quo pacto non dubitandum, fore ut cum Christo et asini et turbæ ingrediantur in cœlestem Jerosolymam, maxima cum gloria et cœlitum applausu, juxta id Psalm. XXXV. *Homines et jumenta salvabis, Domine.*



## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Cur duo discipuli missi ad solvendam asinam. — II. Cur asina vehi Christus voluit. — III. Quomodo jumentis opus habuit. — IV. Cur asinae imposita vestimenta. — V. Cur substratae Christo vestes. — VI. Quare prælati ei rami palmarum. — VII. Quid turbæ præcedentes et sequentes. — VIII. Cur voluit Jerosolymis pati. — IX. Cur tempore paschali. — X. Quid sibi vult: *Hosanna*.

## THEMA.

*Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur clamabant dicentes: Hosanna Filio David. Matth. XXI.*

Cum insignes hostium victores triumphabant apud Romanos, suumque in urbem triumphali apparatu ingressum peragebant, arcus triumphales triumphatoribus erigebantur, quibus trophæa et spolia hostium et triumphii pompa insculpebantur ad perpetuam rei memoriam, ut scribit auctor antiq. Rom. l. X. c. LIX. ejusmodi arcus, iisque incisæ icones adhuc visuntur Romæ, ut arcus Titi erectus redeunti ab excidio Jerosolymæ (in quo candelabrum septuplum, aliaque Hebræorum spolia adhuc visuntur marmoris incisæ) arcus Constantini Magni et aliorum. Nos ergo, auditores, quoniam hodierno die summus cæli et terræ imperator, mundi, mortis et inferni victor, triumphali pompa ingreditur Jerosolymam, erigamus et ipsi in mente nostra memoriale quoddam hujus magni triumphii; incidamus memoriæ, quod hic gestum videmus.

I. Cur duos e discipulis misit Christus ad solvendam asinam? Resp. Primo, ut asinæ domino facilius persuaderent, Dominum ejus operam desiderare. Duobus enim facilius creditur quam uni, nec voluit Dominus violentia uti, quando suaviore modo obtineri aliquid poterat.

Secundo, ad commendandam charitatem mutuanam, quam hujusmodi combinationibus plantare inter suos discipulos voluit.

Tertio, ad commendandum bonum societatis posteris, maxime vero religiosis, ut alter alteri testis et inspector, alter alteri adjumentum, alter alteri stimulus ad bene agendum sit.

II. Cur sedere super asinam voluit? Resp. Primo, quia id prædictum erat Zach. IX. ab ipso igitur implendum fuit.

Secundo, ad commendandam nobis humilitatem et mansuetudinem, ut qui non cum pompa et splendore ingredi in mundum velut rex terrenus voluit (quia tale regnum non quæsit);

sed contraria incedere via, et amplecti paupertatem, humilitatem, mansuetudinem, contemptum, quia hæc viam sternunt ad cæleste regnum.

Tertio, allegorice, quia asina subjugalis significabat synagogam jugo legis Judaicæ alligatam: pullus vero super quem nullus sedit, adeoque liber incedens, populum gentilem, qui nulli legi colla submiserat, adeoque indomitum et exlegem. Quia ergo utrumque populum Judaicum et gentilem ad se et Ecclesiam adducturus, demumque in cælestem Jerusalem introducturus erat, idcirco utriusque animalis uti opera, atque ut credibile est, successive insidere voluit.

Quarto, tropologice, quia Christus non in superbis et phaleratis equis, id est, in inflatis et superciliosis hominibus, sed in humilibus et mansuetis sedem suam quærit. Illi ejus jugum excutiunt, hi admittunt.

III. Quomodo jumentis illis opus habuit? Respond. Primo, videtur Dominus ex itinere fessus fuisse, ideoque humano more vehiculo indiguisse.

Secundo, ostendere vult se non ambitione, sed necessitate motum, ut jumento uteretur. Tertio, quia jumenta illa Judæos et gentiles representabant, voluit indicare se hominibus indigere, in quibus sanandis et sanctificandis ostendere posset charitatem, misericordiam, potentiam, sapientiam suam: quo modo præstans medicus indiget ægro desperato ad comprobendam artem suam.

IV. Cur discipuli super asinos imposuerunt vestimenta sua? Respond. Primo, ut Christus Dominus commodius sederet, tametsi et hoc subsidium exile est, nec omnem incommoditatem tollit. Fecerunt ergo discipuli quod poterant; docentes interim nos, ut Christo in nobis habitanti commodam instruamus sedem, nec molestiam ei creemus admittendo nimis facile peccata venialia, quæ etsi non excutiunt Dominum, molestant tamen et offendunt.

Secundo, ad doctrinam nostram, ut ecclesias et sacra vasa, necnon pauperes, in quibus requiescit Dominus, studeamus ornare et operire vestibus et subsidiis nostris. Ut enim non improbavit neque detrectavit obsequium apostolorum, ita nequaquam inique feret, sed remunerabit potius, si nuditatem templorum et pauperum texerimus nostris elemosynis.

Tertio, quia anima, in qua Christus sedem suam quærit, non debet esse nuda, sed ornata fide, spe, charitate, aliisque virtutibus et moribus apostolorum, ut docet S. Bern. serm. XXVII. in Cant.

V. Quare turba substravit ei vestes et ramos? Resp. Primo, causa honoris et reverentiæ, quasi non deceret ut tantus Dominus super nuda humo incederet. Est autem procul dubio honor magnus, substernere alterius pedibus, quod sibi ornamento et honori est, uti vestimentum. Fecerunt hoc Judæi Jehu in regem electo, adorando ei tribunal e suis vestibus, IV. Reg. IX. imo et gentiles Catoni Uticensi a se discedenti, apud Plut. in ejus vita.

Secundo, mystice ad instructionem nostram, ut sciamus nobis exuendos vitiorum habitus, Christoque in penitentia substernendos, si velimus eum ad nos ingredi. Idem volunt rami de arboribus cæsi et substrati Christo; significant enim mundi delicias et carnis illecebras, quas præscindere oportet et abjicere in lutum, a Christo conculcandas, ut Magdalena fecit, quæ oculos olim impudicos, capillos olim luxuriantes abjecit ad Christi pedes. Hinc Ezech. VIII. reprehenduntur, qui in templo existentes applicant ramum ad nares, hoc est, qui vanitate et lascivia sensus suos oblectant.

VI. Quare præstulerunt ei ramos eosque palmarum, ut scribit Joannes? Resp. Primo, fecisse hoc ad lætitiæ indicandam; quod fecerunt postea Judæi etiam Agrippæ regi, teste Josepho, in legat. ad Caium, frondibus et floribus eum aspergendo. Porro cum rami seu potius folia palmarum omnia in culmine palmæ sint, adeoque non nisi difficili ascensu decidi possint: (palma enim unicus erectus stipes est, nullos in ramos secta, uti aliæ arbores) inde colligi populi fervor ad honorandum Christum potest.

Secundo, quia palma typus est victoriæ, uti alias exposui, cum ponderi non cedat, sed resistat. Christus autem ad victoriam reportandam de mundo, peccato et diabolo ingressus est Jerosolymam; qua de re jam diximus alibi.

VII. Quid sibi volunt turbæ præcedentes et sequentes? Resp. Significare universum fidelium cœtum; quorum alii præcesserunt Christum, ut Hebræi; alii sequuntur, ut Christiani. Ex his aliqui Christum in jumentum tollunt, ut apostoli et eorum successores, pontifices, doctores, concionatores, qui Christi fidem intulerunt orbibus, provinciis, et privatis quibusque hominibus, qui prius asini erant sine jugo, postea Christi jugum in se susceperunt. Alii palmas præferunt et hi sunt s. martyres, qui pro martyrii palma obtinenda sanguinem fuderunt: alii ramis viridibus viam instraverunt, et hi sunt omnes, qui virore castitatis mundissimam Christo viam in se præpararunt: alii vestes exuerunt eique substraverunt; et hi sunt qui Christi

amore exuerunt mundi amorem, et cum eo omnia sua terrena bona et commoda. Alii clamabant: *Hosanna, etc.* Et hi sunt s. confessores, qui voce et vita Christi gloriam testati sunt, etc.

VIII. Quare voluit Jerosolymis pati? Respond. Ob plures causas. Prima est, quia ibi tantum immolabantur hostiæ, quæ erant figuræ passionis Domini: præsertim agnus paschalis, qui non nisi Jerosolymis immolabatur et comedebatur. Ibidem etiam Abraham in monte Moria paraverat immolare filium; in quo Christi immolatio perspicue representatur.

Secunda, quia passio Christi in bonum totius mundi decreta erat, ergo decebat ut in medio orbis perageretur: Jerosolyma autem in medio orbis tunc habitati sita erat, confinis Asiæ, Africae, Europæ. Ut ergo toti mundo facilius innotesceret præcipuum fidei mysterium, passio inquam Christi, congruentissime facta est Jerosolymis, unde imprimis Asiæ, deinde per mare Mediterraneum Africae et Europæ cito insinuari poterat.

Tertia, quia voluit in passione sua uti summos dolores, ita summam quoque suscinere ignominiam, quæ sane ex eo mirum in modum aucta est, quod in loco celeberrimo crucifixus est. Transfigurationi suæ elegit Dominus montis recessum, locum patentissimum. Ita nos præclara nostra tegere, humilia nostra pandere decet.

Quarta, quia voluit afflictissimæ et deploratissimæ urbi præsentissimo mederi pharmaco sanguinis sui. Corruptissimam fuisse Jerosolymam patet non difficile, quia celeberrimæ et opulentissimæ urbes communiter sunt perditissimæ. Confirmatur ex ore Christi, qui Luc. XIII. dixit: *Non capit prophetam perire extra Jerusalem*, quasi dicat: Adeo confluit in hanc urbem colluvies malorum, ut gravissima quæque scelera et cædes prophetarum nullibi fere nisi in hac fiant. Quoniam ergo Jerosolyma tam desperate laborabat, voluit ei Deus præsens ipse mederi pretioso suo sanguine, quantum in ipso erat. Quod si hoc nihil proficeret, pateret toti orbi eam proprio demerito eversam esse velut incurabilem.

Quinta, quia Jerusalem visio pacis exponitur. Ad hoc autem Christus passus est, ut Deo reconciliaremur, et pacem, demumque Deum in cælesti Jerosolyma videremus.

IX. Cur tempore paschali? Resp. Primo, quia eodem tempore agnus paschalis immolabatur, qui Christi immolandi typus erat.

Secundo, quia eo tempore plurimi ex omni Judæorum terra confluebant Jerosolymam. Voluit autem Dominus coram tanta multitudine pati, quia uti communis erat passionis fructus,